



Königliches evangelisches Gymnasium zu Thorn.

Zu der

am 26. und 27. September 1860

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

aller

Gymnasial- und Real-Klassen

und der

Entlassung der Abiturienten

ladet

ehrerbietigst und ergebenst ein

der Director

Professor Dr. W. A. Passow.

De Nicolai Copernici patria. Scripsit Dr. L. Prowe.
Schul-Nachrichten von dem Director.



THORN, 1860.

Gedruckt in der Rathsbuchdruckerei.



UNIVERSITY OF TORONTO



De Nicolai Copernici patria.

Nicolaum Copernicum Thorunensem Borussum esse, nemo est qui infitietur; multi tamen in medio putant relinquendum esse, astronomorum ille rex utrum Germanorum an Polonorum genti adscribendus sit. Ut Graecorum olim septem civitates de Homeri patria inter se certasse dicuntur, ita nostra memoria inter Germanos et Polonos, utra Copernici patria sit, certari coeptum est. Germani quidem, ut nostrates fere solent, causam saepe non acriter egerunt; qui mundanos se esse gloriantur, quidni dicant virum in literis excellentem mundanum esse neque glebae ulli adscribendum? At Polonorum haud facile quemquam invenies, qui Copernicum popularem venerari dubitarit; viri docti atque indocti omnes uno tibi ore affirmabunt Copernicum esse Polonum. Neque id mirum. Optimus quisque ex gente nunc afflicta, quae amplissima olim fuit, animum demissum atque iacentem erecturus ad tempora refugit feliciora, quibus magna potensque fuit patria. Illis autem temporibus, quibus Polonia florebat, Copernicus natus est in oppido, quod Poloni errore capti Polonicum ducunt. Quo errore factum est, ut sacra apud eos Copernici tamquam popularis memoria habeatur, quam monumentis aeneis et scriptis consecrarint. Summa ego quidem verecundia dolorem prosequor, quo Poloni, in quibus mihi cognati sunt atque amici, patriam amissam complorant, multumque abest, ut gentis afflictae piam memoriam attrectare velim. Sed nostra ipsorum res quum agatur, videamus ne nimis insti, dum alios laedi nolumus, in patriam peccemus. Polonis equidem tam dura perpessus quidquam detrahi nolo, sed nobis quoque ne quid detrahatur prospiciendum est.

Poloni in libris de vita Copernici editis, in actis diurnis et commentariis virum immortalem suum praedicantes duo ante omnia monumenta splendida exegerunt, quibus gratum piumque animum testarentur, atque ius, quod sibi habere videntur, pervulgarent. Statuam aeneam „grata patria“ magno filio Varsoviae erexit, ejusque opus immortale denuo idque splendidissime edendum curavit. Editioni illi splendidissimae vita Copernici praemissa est,

quae quum errores a Polonis circumlatos omnes fere repeteret, hunc ad libellum conscribendum me impulit, ut ne ex diuturno Germanorum silentio Copernicus Polonis concessus esse videretur.

Tria potissimum a Polonis argumenta afferuntur, quibus quum sibi tum aliis persuasisse videntur Copernicum esse Polonum.

Primum dicunt Borussiam et antiquissimis temporibus a Slavis occupatam, et anno, quo astronomiae hodiernae pater natus esset, Poloniae provinciam fuisse, Thorunum autem, patriam Copernici urbem, Polonorum castrum antiquissimum esse, Polonorum rebus semper favisse.

Sed non modo terrae urbiq; patriae, verum etiam parentibus atque maioribus Copernici Poloni contendunt nihil cum Germanis commune esse; paterni generis auctores ex Bohemia oriundos Cracoviae in capite Poloniae sedem habuisse et patrem demum Nicolai Copernici in Borussiam immigrasse, maternos avos ex proceribus Polonis genitos fuisse.

Ipsam denique Nicolaum Copernicum Poloni gloriantur Germanum se haberi noluisse, immo nunquam cum Polonis non fecisse.

Haec fere argumenta Poloni indagasse sibi videntur, quae singula iam aggrediemur percensere et sub iudicium vocare.

I. In prima ergo commentationis parte demonstratum ibimus, neque Borussiam illo saeculo, quod quintum decimum erat, Poloniae provinciam vocari posse, neque cives Thorunenses ullo tempore Polonos fuisse; in quo si mihi acciderit, ut iusto longior fuisse videar, veniam mihi persuasum est ab iis datum iri, qui de rebus Borussicis quot fabulae erroneae circumferantur non ignorant.

Illa quidem, ad quae Poloni refugerunt, tempora antiquissima non attingemus, quippe quae tenebris circumfusae sint. Germani an Slavi inferioris Vistulae ripam priores tenuerint, nemo pro certo affirmare potuerit. Auctores enim Romani, a quibus finium rationes repetendae sunt, „montibus mutuoque metu“ Germanos a Sarmatis discernunt. Quicumque vero temporibus antiquissimis constituti erant inter Germanos et Slavos fines turbati sunt, quum Germani patriis sedibus relictis in provincias Romanas commigrassent. Successerunt in sedes vacuas nationes Slavicae e Sarmatia profectae, quae iam inde a saeculo quarto post Christum natum Germaniam orientalem inundantes Borussiae quoque regiones mediterraneas occupasse

dicuntur. Ex hac autem occupatione si quis nomen priscae Slavorum terrae Borussiae imponere velit: non video quid impediatur, quin Slavis praeter Borussiam ceterae quoque Germaniae orientalis partes adscribantur, quas illi integras et per longius temporis spatium tenuerunt; non video quid impediatur, quin praeter Copernicum Slavis Humboldtii, Fichtii, Lessingii, alii adnumerentur, qui nati sunt in iis Germaniae orientalis regionibus, quas Slavi per plura saecula occupatas habuerunt. Ac tali argumentatione usi Germani omnem fere Europam suam esse optimo iure asseverare poterunt, quippe quam perpaucis exceptis regionibus gentes Germanicae quondam tenuerint.

Sed mittamus haec, quae parum ponderis habent; priscis enim temporibus quae gentes Borussiam habuerint, nihil fere ad hanc quaestionem pertinere videtur, quum ea saecula, de quibus nobis agendum erit, res Borussicas plane immutatas viderint.

Slavi ex Sarmatia in Germaniam commigrantes Vistulae inferioris accolae Borussos offenderunt, gentem bellicosam, quae lingua ac moribus diversa fines acerrime defendebat litusque maris Baltici a Slavis intactum servabat. Bella, quae Slavis ad Vistulam progressis perpetua fere gerenda erant, magis etiam exardescere coeperunt, posteaquam Poloni cum imperio religionem Christianam Borussis obtrudere conati sunt. Saepius Poloni opibus validiores in Borussiam agris confinibus vastatis impetus faciebant, sed haud raro Borussi quoque occasione libenter arrepta in fines Polonorum irrumpebant, agros bello sibi ereptos recuperaturi. Ita vario Marte posteaquam per duo fere saecula certatum est, circa annum 1200 Borussi ex plurimis proeliis victores discedunt, recepta terra Culmensi per Mazoviam et Cuiaviam longe lateque excurrunt, vicis oppidaque direpta vastant, neque quidquam Conrado Mazoviae duci praeter oppidum Plocense integrum relinquunt. In tanto rerum discrimine Conradus dux quum neque ipse Borussis resistere posset et a cognatis Poloniae ducibus auxilium frustra implorasset, ad ordinem cruciferorum Teutonicum decurrit petens ut Borussos propulsarent atque ducatus limites tuerentur. Quod si prospere successisset, provinciam Culmensis, quam suam putabat, se cruciferis traditurum esse promisit.*) Hermannus

*) Scriptores Polonici Conradi donationem temere impugnare et in controversiam vocare student. Ita iam Dlugossus T. 1. p. 644: „donationem“ dicit „de facto non de iure factam esse cum in praedictum regni Poloniae donationem ipsam Conradus dux non poterat fecisse.“ Cromerus (l. l. p. 134) Conradum narrat „Culmensis tractum et quidquid terrae est inter Vistulam Mocram atque Dervanciam flumina cruciferis tradidisse his legibus ut contra Prussos sedulo et summis viribus bellum gererent. Ubi vero eos domissent Culmensis quidem tractum redderent, cetera vero quaecumque de barbaris cepissent arbitrio bonorum virorum ex aequo secum seu cum posteris suis partirentur.“ Ad haec commode respondens C. Schütz (hist. Pruss. p. 42) monuit „cruciferos nec a rege nec a regno Poloniae evocatos nec cum alio quoquam nisi cum duce Masoviae et eius filiis heredibus conventionem intercessisse; atque vix verisimile esse cruciferos eo tempore quo alioquin iam passim in Europa luculentas habebant opes et possessiones tam duris conditionibus tam incerto

de Saltza autem providus ordinis magister Conradi donationem, nisi imperatoris autoritas accessisset, irritam fore ratus a Friderico II. ut illa promissa sancirentur impetravit, acceptoque imperatoris diplomate*) opus, cui Poloni impares fuerant, aggressus ordinis sui equites militesque mercenarios, qui paganos repellerent, in Borussiam misit. Cruciferi a principibus Germanorum adiuti rem bene gerunt. Devictis autem Borussis ipsos, a quibus auxilio advocati erant, adoriuntur, tantumque Polonis periculum conflant, quantum a Borussis nunquam

praemio tantum periculum subire voluisse, praesertim quod Conradus ita tum afflictus et in eas angustias reductus erat ut facile dimidia omnium ditionum parte cessisset, modo a Polonis securus et incolumis praestaretur.⁴ Post Schützius Hartknoch (Alt. u. N. Pr. p. 271 sqq.) atque saeculo superiore plurimi ex scriptoribus nostris (cf. Lengnich bibl. Polon. I., p. 312 sqq. Pauli Preuss. Staatsgesch. IV. p. 53 sqq.) Polonorum commenta refutarunt. At non huius loci esse videtur rem controversam pluribus exponere, quam qui accuratius cognoscere velit, adeat ille eos, qui res Borussicas novissime scripserunt. (Voigt hist. Pruss. tom II.; Waterich: die Gründung des Deutschen Ordensstaates in Preussen). — Luculentissime Polonos ipsum Conradi diploma refellit, quod saepius descriptum apud Dogielum, Dregerum, Duellium alios reperitur: „Ego Conradus divina miseratione dux Masoviae et Cuiaviae dedi et contuli Hospitali S. Mariae domui Teutonicorum et fratribus eiusdem domus totum et ex integro Culmense territorium cum omnibus suis attinentiis etc. in veram et perpetuam proprietatem possidendum pleno iure cum omni libertate, fructu et utilitate totam terram cum aquis etc. nihil prorsus iuris utilitatis, advocatae, patronatus, vel cuiuslibet alterius iurisdictionis aut potestatis quocumque nomine censeri possit vel appellari mihi haeredibus vel successoribus meis in omnibus supradictis vel quolibet eorum retinens aut reservans, sed omnia ea cum libertatibus cum pleno et integro iure sine omni dolo, fraude, captione ac captiositate, sine diminutione et coarctione eam bona et exuberante fide et largissimo intellectu domui et fratribus memoratis contuli et collata recognosco, me haeredes et terram eam obligans et teneri volens de evictione. Praeterea quicquid de personis vel bonis omnium Saracenorum captivatione, depraedatione, extorsione, occupatione vel subiurgatione mobilium sive immobilium, terrarum, vel aquarum atque omnium in eis contentorum quolibet modo fratres praedicti adipisci potuerint, cum omni et integro iure ac libertate superius praemissae donationis nulla prorsus diminutione, coarctatione, vel impedimento ipsis a me haeredibus meis vel quolibet alio, quem nos prohibere vel coarctare possimus, praestando vel procurando eisdem concessi cum vera proprietate et perfecto dominio quiete possidendum etc.“

*) „Fridericus Secundus divina clementia Romanorum imperator etc. praesentis scripti serie notum fieri volumus, qualiter frater Hermannus Sacrae Domus Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in Hierusalem Venerabilis Magister proposuit coram Nobis, quod devotus Noster Conradus dux Masoviae et Cuiaviae promisit et obtulit ei providere et fratribus suis de terra, quae vocatur Culmen et in alia terra inter Marchiam suam videlicet et confinia Prutenorum, ita quidem ut laborem assumerent et insisterent opportune ad ingrediendum et obtinendum terram Prussiae quam promissionem recepisse distulerat et Celsitudinem nostram suppliciter implorabat, quod si dignaremur annuere votis suis, ut autoritate nostra fretus inciperet aggredi et prosequi tantum opus Nos igitur quod terra ipsa sub monarchia imperii est contenta autoritatem eidem Magistro concessimus terram Prussiae concedentes et confirmantes eidem Magistro successoribus eius et domui suae in perpetuam tam praedictam terram, quam a praescripto duce accipiet, ut promisit et quaecumque aliam dabit, nec non totam terram quam in partibus Prussiae conquiret, domino favente velut vetus et debitum ius imperii in montibus, planicie, fluminibus, nemoribus, in mari, ut eam liberam ab omni servitio et exactione teneant et immunem et nulli respondere proinde teneant.“

imminere poterat. Bello superati Polonorum reges Conradi donationem, quam sibi iniquissimam saepius impugnaverant, confirmare*) et cruciferos solos Borussiae dominos agnoscere coacti sunt.

Borussia posteaquam belli iure in potestatem cruciferorum redacta est novam formam induit. Veterum enim incolarum quum magna pars aut bello deleta aut in servitutem redacta esset, coloni e Germania ab ordine arcessuntur largis immunitatibus et privilegiis concessis. Adveniebant Francones, Thuringi, Bohemi, Austriaci; plurimos autem et milites et colonos Germania inferior mittebat, Saxones, Holsatos, Rhenanos. Sed praeter eos, qui terrae incolendae consilio ex omnibus fere Germaniae regionibus in Borussiam commigraverant, multi eorum quoque, qui stipendio conducti advenerant, in Borussia agris donati sedem domiciliumque sibi constituebant. Cum his colonis lingua, mores, instituta Germanorum illata sunt, quae sola inde ex hoc tempore regnabant. Nemo igitur Borussiam, quae Germanorum virtute expugnata, Germanorum sudore exculta est, terram Germanicam nominare dubitabit.

*) Testimonio afferantur verba Casimiri III. ex literis de pace anno 1343 facta ad ordinis magistrum datis: „Nos Casimirus D. G. Rex Poloniae donationem terrae Culmensis et castri Nessoŵ et Curiarum Orlow et Ogorin cum suis iuribus etc. et alia bona ac possessiones, quae et quos de iure ante motam guerram iidem magister ac fratres rite et rationabiliter possederunt, et specialiter terram Michaloviensem, quo modo et iure, quibus eam ab illustribus ducibus Cuiaviae hactenus possederunt, ratificamus et praesentis scripti patrocinio confirmamus et ut cesset in antea omnis actionis impetitionis et querimoniae occasio, quas nos vel nostri haeredes aut successores universi ad terras Pomeraniae Culmen aut Michaloviae, seu earum quamlibet partem, sive iure hereditario devoluto seu alio iure quocunque ac consuetudine quacunque ex nunc haberemus, sive habere in futurum possimus, renuntiamus eisdem et quibuslibet eorum expresse praesentibus pure simpliciter et in totum etc. Dogiel codex diplom. regni Poloniae IV., 68. 69.

Casimiri verbis assentientes episcopi regni Poloniae publice profitentur se interfuisse „quando Serenissimus Princeps Dominus Casimirus iuramento praestito corporali renuntiavit terris Pomeraniae Culmensi et Michaloviensi suo et successorum nomine pure et simpliciter nihil sibi in eisdem terris iuris vel domini reservando.“ — Dogiel l. l. p. 70. His episcoporum literis invenies apud Dogielum l. l. adiectas literas, quibus palatini castellani et iudices regni Poloniae promittunt et spondent „ex certa scientia bona fide Reverendo et religioso viro Domino Ludolpho Koenig Magistro generali et fratribus B. Mariae Domus Teutonicae, quod si idem Dominus Rex noster vel quivis alii cuiuscunque status dignitatis conditionis existant, concordiam initam et feliciter consummatam cum praedictis Magistro et fratribus violabunt contraveniendo iure eidem Domino Regi non assistemus nec eum iuvabimus etc.

Eodem modo Vladislaus Jagellonides pace Brestensi anno 1436 constituta omni iure, quod in terram Culmensis Poloniae reges obtinuisse sibi videbantur, sese posterosque abdicavit. —

Ceterum occasione oblata diserte monitum velim, Borussiae meridianas tantum partes aliquantum temporis in potestate Polonorum fuisse, ceteras autem regiones ante ordinis Teutonici adventum militem Polonum non vidisse, soloque belli iure ad cruciferos transiisse. —

Legibus aequissimis constitutis res Borussicae in dies magis efflorescebant, satisque prosperae esse videbantur. Nobilitati praediis donatae privilegia praeclara concessa erant, homines rusticani iusto et mihi imperio regebantur, oppidanorum denique commodis ordo teutonicus liberalissime consulebat, ita ut civitates ad summum splendorem pervenirent. Sed ex opulentia invidia orta est, resque secundae animos elatos superbosque reddiderunt. Ad iniurias repellendas, quas a cruciferis sibi illatas credebant, nobiles cum civitatibus maioribus foedus inierunt. Quod quidem Conradus de Erlichshausen ordinis magister senectute confectus non improbavit sperans fore ut clementia et mansuetudine animi placarentur. Ludovicus de Erlichshausen autem, qui patruo succedens a foederatis ordinis imperio periculum summum imminere existimaret, non modo ipse foedus reiecit, sed etiam a pontifice Romano damnandum curavit. Imperator quoque, ad quem causa tandem perlata est, foedus, quod antea comprobat, ordinis precibus indulgens condemnavit atque irritum esse decrevit.

Tum vero principes confoederationis, qui longius iam progressi se suamque salutem cruciferis iratis committere nolebant, ut ab ordine deficerent, remque publicam liberam constituerent, sociis persuaserunt. Vicit haec procerum sententia; mittuntur statim nuntii ad ordinis magistrum, qui fidem officiumque renunciarent. Brevi tamen quum se cruciferis impares esse viderent, foederati libertatem, quam se recuperavisse gloriabantur, suis viribus defendi posse desperarunt. Externa igitur auxilia circumspicere et sub potentem regis cuiusdam tutelam concedere coacti erant. Consultantes vero, quem sibi patronum assumerent, magnopere inter se dissentiebant. Qui enim litus accolebant, Daniae regem creari volebant, alii Ungariae et Bohemiae regem praeferebant, plerique Casimirum Poloniae regem deligendum censebant, qui confinis esset copiasque auxiliares celerrime adducere posset. Legati igitur Cracoviam missi sunt, qui Borussiam regi traderent. Casimirus autem iusta religione obstrictus legatorum precibus annuere deditioemque accipere dubitabat, quoniam anno 1436 pace facta Brestensi cum fratre tum regnante ipse promisisset nemini unquam auxilium latum iri, qui ordini bellum inferret*). Ita rex cum se impeditum videret,

*) Afferam ex Dogieli cod. diplom. regni Polon. l. l. p. 124 ipsa regis iurati verba, quibus Casimirus, ne Borussorum tutelam susciperet, se impeditum vidit: „ut huius modi pacem perpetuam et concordiam sub certiori attentionis firmitate et robore custodiamus et servemus, promittimus sine dolo et fraude, sub fide et honore ac onere praestiti iuramenti: Quod ad nullius hominis viventis requisitionem, inductionem, suggestionem, persuasionem vel mandatum etiam quacunque dignitate praefulgeat, Papali, Imperiali vel Regali aut cuiuscunque congregationis legitimaе, personarum ecclesiasticarum vel secularium debemus, vel poterimus contravenire ipsis in parte vel in toto, expresse, manifeste vel occulte, per se vel alium seu alias quascunque personas, submissas spirituales vel saeculares, neque eas taliter aut quocunque modo violare: etiamsi modernus Imperator aut Successores sui Imperatores cum exercitu contra Magistrum et Ordinem se moverent non debemus ei nec Successores assistere ope, consilio, auxilio vel favore.“

Eodem die, quo pax perpetua composita est, „literae reversales“ his verbis a rege Poloniae Magistro

ex pacis perpetuae condicionibus concordiam inter cruciferos et foederatos conciliare conatus est. At legati nunquam responderunt fore ut cum cruciferis in gratiam redirent, iterumque postularunt, ne rex amplius rem differret; sibi enim mandatum esse, ut, si a rege non susciperentur, recta via abirent alios dominos ac patronos quaesituri, a quibus utraque manu se exceptum iri scirent. Tum Casimirus veritus, ne opportunam Borussiae occupandae occasionem negligeret, deditionem accipit, datoque privilegio, quo Borussorum iura omnia confirmantur, tutelam et auxilium promittit. Dum haec Cracoviae aguntur, funestum illud, quo res Borussicae ex florentissimo statu concidere coeperunt, bellum iam exarserat. Per tredecim annos animis infestissimis pugnatum est; tandem vero cruciferi viribus exhaustis pacem iniquissimam inire coacti sunt, qua occidentalem Borussiae partem Casimiro concederent, alterumque lege gravissima retinerent, ut ordo semper esset in fide et clientela regis Poloniae.

Ex hac Borussiae deditione Poloni genti suae Copernicum adscribendum esse colligunt, quippe qui lucem aspexerit septem annis postquam Thorunum regem Polonorum patronum acceperit. Quod quidem priusquam refellere aggrediar, Polonos admonitos velim amplius quadraginta annos esse, quum Posnaniae magnus ducatus regni Borussici provincia facta sit, atque tantum abesse, ut, qui in illa provincia Polonico sermone patrio utantur, Germani esse velint, ut sint, qui se Borussos esse aegre ferant. Sed haec obiter. Graviora iam afferam. Errant enim qui Borussiam anno 1466 Poloniae provinciam factam esse putent. Contigit Borussiae non bello a Polonis subigi, sed libera ac voluntaria deditione ad eorum regem accedere, in cuius tutelam quum Borussi profugissent, iura, leges, mores, instituta sua retinebant*) regni Poloniae neque constitutionibus subiecti neque legibus obligati. Non singulari quodam Poloniae amore ducti Borussi Casimiri regis patrocinium impetrarant, sed quod

ordinis traditae sunt: „Significamus etc. Quod nunquam Nos et Successores nostri Magistro et terris ordinis guerras movebimus aut bella, sed pacem perpetuam et concordiam in civitate nostra Brzeście conceptam et firmatam custodiemus et servabimus inconcusse in omnibus suis articulis atque punctis Promittentes: quod si Nos vel Successores nostri stante huiusmodi pace perpetua, Magistro aut terris ordinis vellemus aut conaremur huiusmodi guerras aut bella movere, non debent Nobis subditi nostri consentire nec in hoc obedire aut parere, quinimo erunt ab omnibus nostris homagis iuramentis et subiectionibus liberi et soluti donec in hoc casu Nos et Successores nostri ad observantiam pacis perpetuae revertemur etc.“

*) Rei satis probatae testimonia addere non opus est, unum tamen mihi liceat testem producere Cromerum auctorem Polonum, Borussis haud aequum, qui in descriptione Borussiae ipse fatetur: „Prussia regia quamvis eodem cum Polonis regno continetur, tamen peculiare consilium publicum, peculiare leges, peculiaris iudicia et comitia, acrariumque et belli gerendi rationem a reliqua Polonia diversam habet antiquitus. . . . Regia Prussia, ex quo a crucigerorum imperio ad Polonum nomen . . . sese recepit, recepta ea quidem est a Polonis in societatem iuris et reipublicae, sed leges tamen suas et instituta a Teutonibus fere hausta vel. . . . deductione coloniarum e Germania importata retinuit. Consilium quoque a senatu regni sciunctum obtinuit.“

opibus eius fortissime se defendi posse putarent. Nihil cum Polonorum republica, quacum perpetuo foedere se iunxerant, commune habebant, nisi regem, quem solum sibi dominum ac patronum elegerant*). Personali igitur, quam hodie dicimus, unione Borussia cum Polonia iuncta erat, quemadmodum Sueciae et Norvegiae regna nostro tempore coniuncta sunt. „Subiectionis unionem**“) — liceat mihi has voces ex ore maiorum usurpare — Borussi inierant, at „iurium unionem“ quam Poloni obtrudere conabantur, acerrime recusabant. Ardoris, quo maiores nostri repugnaverint, exempla afferre supersedeo; Lengnichium, qui in annalibus magnam copiam congescit, adire cuius licet. Nonnulla tamen ex „incorporationis privilegio“, quod unionis, qua Borussia Poloniae se iunxit, legitimum fundamentum est, hic afferre non abs re esse videtur.

In praeclearo illo libertati Borussorum concessae quasi palladio Casimirus rex promissa haec dedit: „omnes incolas terrarum Prussiae in iuribus, libertatibus, literis, privilegiis, immunitatibus eorum, quae a principibus spiritualibus et saecularibus, regibus et dominis terrarum praedictarum obtinent, conservabimus, fovebimus, defendemus nec unquam ea violabimus aut praevaricabimur aut violari vel praevaricari quomodolibet permittemus†).“ His promissis rex, ut omnem violationis metum adimeret, sponsonem peculiarem adiecit: „item omnes causas notabiles dictas terras concernentes cum communi consiliariorum spiritualium et saecularium nobilium et civitatum maiorum consilio terrarum praedictarum terminabimus, tractabimus et definiemus††)“. Borussi igitur non in regni Poloniae comitiis, sed in ipsorum

*) „Sese neminem in his terris Dominum nisi solum regem agnoscere“, Borussorum legati monent, qui anno 1466 Petricoviae Casimirum conveniunt ad regem missi questum, bello nondum confecto iura et privilegia sua iam violari, addentes „se depellendae causa servitutis internum dominatum abiecisse, quam grave sit ac acerbum extraneos dominos sufferre, neminem non intelligere“. Schütz rer. Pruss. hist. p. 417.

***) Regi Sigismundo Augusto in comitiis Petricoviensibus causas quaerenti, cur Borussi oblatam cum regno arctiorem societatem tam anxie aversarentur, Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis commode respondens „unionem“ docuit „duplicem esse, alteram subiectionis et obedientiae, alteram iurium. Quodsi illam, quae populos ceterum diversos sub eodem principe iunxit, Poloni intelligent, Prussos, ex quo ad regnum accesserunt, non solum constanter in eadem fuisse, sed et aeternum futuros; sin vero hanc eandem, non posse fieri, nisi iura, quae Prussia hactenus pecularia, tollentur.“ Lengnich hist. Pruss. II., 81.

†) Haec Casimiri promissa Polonis in memoriam reduxit Stanislaus Hosius, quum in oratione Mariaeburgi anno 1552 apud regem habita moneret „Borussos non eo animo se ad regni corpus adiunxisse, quod deductum aliquid iuribus et libertatibus, verum quod accessionem aliquam potius ad eas factum iri persuasum haberent.“ Lengn. I. I. II. doc. p. 24.

††) In privilegio incorporationis — Borussorum legati in comitiis Petricov. a. 1563 ostendunt — „nulla omnino facta est dominorum regni consiliariorum mentio; ex quo sequitur dominos regni consiliarios nullam de terris Prussiae statuendi potestatem habere, cum nullus in regno nisi solius Maiestatis Regiae superioritatem terrae Prussiae agnoscant.“ Lengn. I. I. II. doc. p. 108.

conventibus cum solo rege, aut qui eius vices gerebat, rempublicam administrabant, ad quam Polonorum nemini accedere licebat. „Omnes incolas“ — Casimirus in privilegio incorporationis Borussis pollicitus est — „hac prosequemur praerogativa, quod dignitates et officia hactenus illic consistentia et in posterum constituenda, item castra et tenutas civitatum et locorum in terris praedictis nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenae iuxta observantiam aliarum terrarum regni nostri conferemus.“

Haec aliaque Casimiri promissa omnes, qui succedebant, reges Poloniae iureiurando confirmabant, neque Borussi prius fidem et obsequium pollicebantur, quam a rege novo ipsis iusiurandum datum esset. Ita maiores nostri libertatem, quam depulso cruciferorum iugo recuperatam putabant, ut servarent posterisque integram relinquerent, vigilabant. Sed haec omnia frustra. Tempora mox inciderunt, quibus Poloni hanc Borussiae formam a ceteris regni partibus diversam mutare, libertatem iuraque regum fide confirmata et sancita offendere, et Borussiam in formam palatinatum Polonorum redigere conabantur. Neque hoc mirum videbitur, si quis sine ira et studio omnia perpenderit. Populus enim, qui Borussiam incolabat, non modo legibus a Polonis diversissimis utebatur, sed lingua, moribus, totaque vivendi ratione parum cum Polonis conveniens Germanos referebat. Quae quum ita essent, haud parvum inde periculum Poloni sibi praesentiebant, praesertim quum Germaniae imperatores Borussiae ius et potestatem, quae habere sibi videbantur, nunquam non omitterent et ordo Teutonicus spem totius Borussiae recuperandae continenter aleret.

Permulum igitur Polonorum interfuit (linguam*) et instituta sua in Borussiam inducere formamque regiminis „novae unionis iugo imposito“ invertere. Neque haec molientibus ius quoddam aut certe iuris speciem fuisse negari potest. Insunt enim in „sponsione reciproca“ quam „ordines Borussiae“ anno 1454 fecerant, verba quaedam, quae controversiae ansam habent, dico verba illa, quibus Borussi necessitate compulsi concedunt „se a corpore et proprietate Regni Poloniae praeter iustitiam et aequitatem per vim et arma abalienatos“ atque „illico prisco capiti et primaevo corpori se reuniendos reintegrandosque esse“. Haec Borussi illo tempore veriti, ne a rege rejicerentur, temere concesserant, quum Casimirus regnum sibi oblatum accipere fidemque cruciferis datam violare dubitaret, nisi Borussiae occupandae causam quandam legitimam haberet, quam illis verbis inesse sibi persuadebat. Borussorum vero proceres vel ipsi nesciebant se libertatem iuraque, quibus illibatis frui cuperent,

*) Lingua Germanica, quae totius gentis erat, Borussi in comitiis omnibusque negotiis publicis utebantur; cuius legatus regius si ignarus erat, non lingua Polonica, quam illo tempore Borussi nesciebant, sed Latina regia mandata exponebat. Sed iam Sigismundo I. regnante primum lingua Latina et deinde Polona induci coepta est.

labefactasse, vel cupiditate odioque adversus cruciferos occoecati non curabant, quod angustiis pressi tum concessissent, fore ut in ruinam patriae olim verteretur. Illis enim verbis abusi Poloni Borussos suis legibus atque institutis subiicere studebant omnia negligentes, quae olim Casimirus prolixè promiserat.

Ac primum quidem Poloni peculiarem Borussiae conditionem impugnantes nobiles atque consiliarios, quos supra diximus ex pactis deditiois in ipsorum conventibus rebus publicis consuluisse, ad comitia regni vocabant. Qui quum venire amplius centum annos constanter recusarent, eadem, quae olim fuit, reipublicae Borussiae facies remansit usque ad comitia Lublinensia anno 1569 habita, in quibus illud Borussorum libertati perniciosissimum decretum conflatum est, ex quo „omnes errorum tenebras, omnesque, quae mirum in modum provinciam premerent, difficultates prodiisse“, maiores nostri questi sunt. Illo enim decreto rex „indicat et declarat decernitque perpetuo et in aevum, consiliarios terrarum Prussiae esse consiliarios regni, inque senatu regni locum habere, et vocatos a regibus Poloniae in medium consulere votaue et suffragia in senatu regni cum consiliariis eiusdem regni ferre teneri, tam de negotiis terras Prussiae quam etiam regni, cum sint unius individuique corporis membra, concernentibus: eodem modo et nuncios terrarum Prussiae inter nuncios regni locum habere una cum iisdem de rebus eiusmodi similiter in commune consulere.“

Intercedebant quidem consilarii Borussici, quibus ex decreto Lublinensi sedes in Polonorum senatu data erat, cum ceteris Borussiae ordinibus. Sed frustra; coacti sunt comitiis Polonorum interesse. In quae quum protracti essent, cetera quoque iura peculiaris aut corruerunt aut deminuta sunt. Corruit illud „indigenatus ius“, quod ab ipsis reipublicae incunabulis firmissimum libertatis propugnaculum constitutum erat. Incorporationis enim privilegio ut „nulli extraneo aut forensi dignitates saeculares aut ecclesiasticas“ conferret, rex obligatus erat. Huic legi salutari, quam Poloni initio abrogare non audebant, tortam interpretationem, qua omne inter peregrinum et indigenam discrimen tolleretur, afferebant dicentes „facta cum regno Poloniae unione Polonos in Borussia, Borussos autem in Polonia, indigenas habendos esse*“). Borussi privilegii verbis freti primo quidem repugnabant, neque Polonum, cui magistratus a rege mandatus erat, in consilium admittebant**). Posterioribus

*) Non abs re videtur vocis „indigenae“ interpretationem addere, quam Borussi in literis anno 1548 ad regem datis proponunt: „verus et proprius terrarum Prussiae indigena is tantum habetur, qui ex parentibus in Prussia et nusquam alibi continuum domicilium et bona propria habentibus ac iure et iudicio ipsarum terrarum fruentibus et subiectis in ipsa Prussia ex legitimo thoro sit susceptus et alitus.“

***) Ut unum ex multis exemplum afferam, Cromero episcopo Varmiensi, quoad vixit, locus in consilio Borussico negatus est.

vero temporibus, quum edictum Lublinense legis instar obtineret, fieri non potuit, quin indigenatus quoque iuris servandi studium languesceret; tandem lex illa salutaris quum a re-gibus Polonorum saepissime neglecta esset, non abrogata quidem, ita tamen immutata est, ut nihil nisi speciem quandam legitimam retineret. Solebat enim consiliarius, qui extra Bo-russiae fines natus erat, indigenatus iure donari, quo recepto beneficio munia publica obire ei licuit.

Ita facilis aditus quum pateret, ad magistratus remque publicam Borussicam Polo-norum permulti accedebant, qui praediis sibi paratis non modo ipsi domicilium in Borussia constituebant, sed cognatos quoque et amicos adducebant. Quo factum est, ut in iis Bo-russiae occidentalis partibus, quae Polonis confines erant, saeculo superiore plurima praedia Poloni occupata haberent. Germanici autem sanguinis nobiles qui supererant, illi iam po-lonizare coeperunt, nominibus et suis ipsorum et praediorum*) terminationem Polonicam adiciebant, comitia regni non inviti frequentabant, linguam, mores, instituta Polonorum induci vel patiebantur vel gestiebant. Neque Borussiam superiore saeculo negari potest magis magisque in provinciae Polonicae formam abiisse.

Sed in tanta rerum Borussicarum commutatione, quum ii, qui ruri vivebant, Polono-rum cum vestimentis linguam et consuetudines induisse viderentur, acerrime tamen civitates maiores — Gedanum, Elbinga, Thorunum — Germanorum linguam, mores, vivendique ratio-

*) Plurimorum, quae circa Thorunum sunt, praediorum vicorumque nomina, quae Germanica erant, superiore saeculo mutata sunt. Aliis terminatio Polonica adiecta est, e quibus nomino: Grunau — Gronowo; Glafau — Gładziejewo; Wangerau — Węgorzyn; Bogelsang — Folsong; Tauer — Turzno; Kunzendorf — Konczewice. Alia nomina, quae translationem permittebant, in linguam Polonicam translata sunt, ut: Klöster-chen — Kaszczorek; Wurstenau — Kiełbaszyn; Lindenhof — Lipniczki; Kuhwerder — Krowiniec etc. Haud pauca denique ita immutata sunt, ut nomen Germanicum iam cognosci non possit, veluti: Konradswalde — Kucz-wały; Häfelicht — Leszcz; Raßmannsdorf — Zakrzewko; Pösmannsdorf — Łysomice; Kirch-Tauer — Gost-kowo; Schönsee — Kowalewo multa alia. —

Quae quidem omnia a me iam ante hos septem annos exposita (cf. Zur Biographie von Copernicus p. 18) a scriptoribus Polonicis minus intellecta sunt. (cf. Dominik Szulc Życie Mikolaia Kopernika p. 9 sqq.) Neque enim Polonorum vicos in terra Culmensi ante cruciferorum adventum fuisse, unquam negavi, sed vico-rum praediorumque nomina, quae cruciferorum tempore Germanica erant, saeculo superiore a Po-lonis immutata esse, exemplis allatis confirmavi. —

Quae Dominik Szulc l. l. in me invectus disputavit, errori ea condono, ardorque, quo Germano-Poloni incensi esse solent. Bartoszewicz autem maius commisisse mihi videtur, qui in vita Copernici p. XLVI. praedii Watzelrodiani nomen „Friedau“, quod in libello meo legit, sciens mutavit in nomen Polonicum „Slawkowo“, ut maiores Copernici Polonici nominis praedium habuisse viderentur!

nem retinebant*). Ardoris, quo cives Thorunenses originem Germanicam**) testari studebant, non pauca documenta exstant, quae ex manuscriptis Thorunensibus conquisita iam in medium prolaturus sum. Maiorem nobis copiam acta publica, integra si servata essent, praeberent, sed curiae incendio, quum Carolus XII. Suecorum rex oppidum obsideret, senatus Thorunensis acta ab antiquissimis temporibus diligentissime asservata conflagrarunt, neque ad nostram memoriam pervenerunt, nisi decreta nonnulla, quae ex actis excerpta commentariis urbis patriae a civibus scriptis custodita sunt†).

Ex saeculo sexto decimo duo decreta traduntur, quae docent a senatu vetitum esse, ne Thorunum Poloniae oppidum vocaretur.

Primum decretum in causa mercatoris cuiusdam Matthiae Bertram anno 1566 factum est, qui allatis ex more literis natalibus, quibus se parentibus honestis ortum esse testaretur, civitatem Thorunensem petiit. Senatus autem, quia in literis illis Thorunum Poloniae oppidum vocatum esset, eum decrevit inter cives Thorunenses non prius recipiendum esse, quam literas iuste conscriptas attulisset.

Simile decretum anno 1603 a. d. XIII. Cal. Mart. editum est, quo senatus civi cuidam Thomae Haynemann literas natales iuste conscribendas reddi iussit: „Thorunum enim non Poloniae, sed Borussiae oppidum esse.“ Praeterea Haynemann ille cives duos dare iussus est, qui fidem literarum iuste conscribendarum interponerent.

Anno 1586 a. d. III. Nonas Februarius decretum fit, ex quo patet in civitatem Thorunensem non ascitos esse, nisi qui parentibus Germanicis orti essent. Illo enim decreto

*) „Civitates Borussiae a decurionibus seu consulibus et quidem Germanicae linguae et sanguinis (Polonos enim pro externis habent et neque ad artes mechanicas perdiscendas admittunt) reguntur.“ Cromer Polonia p. 527.

*) Thorunum anno 1232 primum Borussiae oppidum conditum est a colonis Germanis, quos cruciferi Borussiae ingressi adduxerant. Quam quidem rem apud omnes pervulgatam ne verbo quidem attingerem, nisi scriptores Poloni, civitati Thorunensi ut originem Polonicam injungerent, temere contendere solerent, oppidum illud a Germanis conditum aliquid commune habere cum castro „Torun“, quod saeculo duodecimo in terra Culmensi fuisse traditur. Verum nihil iis commune est, nisi nominis similitudo. Castrum Torun ante cruciferorum adventum a Borussis funditus eversum ubi exstructum fuerit ignoramus; illud autem satis constat, quum cruciferi advenissent, eo quidem loco, ubi oppidum Thorunum conditum est, nullas parietinas existisse.

†) Commentarii, quibus nonnulla senatus Thorunensis decreta ad nos pervenerunt, a nobilibus urbis patriae civibus scripti, in bibliotheca senatus hodie adhuc asservantur. Zernecke ceterique, qui res Thorunenses scripserunt, commentariis illis usi sunt, quorum praeclaram fidem libri iudicarii servati testantur, e quibus excerpta nonnulla habent.

senatus Alexandro Scoto cuidam civitatem negavit, „quoniam a maioribus semper cautum esset, ne quis alienigena civitate donaretur, nisi qui oriundus ex civitate foederis Hanseatici advenisset*)."

Eodem studio, quo senatus Thorunensis Polonos in civitatem recipi noluit, opifices quoque collegiis suis, quae illo tempore legibus severis circumscripta erant, Polonos excludabant. In commentariis lex legitur, quam anno 1478 collegium vitorum urbanorum sibi imponi voluit, ne cui alumnum parentibus Polonicis ortum assumere liceret. Quam collegii legem „quingenta annis ante primo constitutam“ senatus anno 1478 fer. IV. intr. Oct. Visit. Mariae ratam fecit.

Eandem legem amplius centum annis praeteritis iis, qui petasorum promercalium officinam exercebant, senatus imposuit, „ut ne alumnum sibi adiungerent, nisi qui parentibus Germanicis uteretur“ (decr. anno 1611 a. d. VII. Cal. Septembr.)

Tam duris legibus, quas huius saeculi ingenium sane improbabat, cives Thorunenses, ne a more Germanorum recederent, ipsi se coercebant, neque Polonos, quorum regem patronum atque dominum colebant, in parem iuris libertatisque condicionem recipi patiebantur**). Habitabant Thoruni etiam sanguinis Polonici homines, qui ex agris suburbanis immigraverant, sed civitate non donati, tenuioris ordinis atque vitae erant. Ita inter opifices, qui rebus ad vestitum hominum rusticorum necessariis provident, Polonos reperimus. Sed horum quoque non multis accedendi licentia data est; imo certos fines constitutos fuisse ex pluribus, quae adhuc exstant, senatus decretis apparet. Anno 1608 a. d. XV. Cal. August. senatus decrevit, „ne in vestitorum sodalitates amplius sex Poloni adscriberentur“; alioque decreto (d. anno 1616 a. d. 17 Cal. Jul.) quinque tantum Polonos admitti voluit. Secundum haec decreta anno 1618 a. d. V. Idus Febr. Johanni Tabuszewicz Cracoviensi civitas negata est „quia vestitorum collegio amplius quinque Polonos adscribi non liceret.“

His decretis illud etiam adiiciatur, quod anno 1586 pridie Calend. April. factum esse traditur, quo senatus vetuit, „ne quis Polonorum pueros in ludo privato institueret.“

*) Ad celeberrimum Germanicarum civitatum foedus Hanseaticum iam incunte saeculo decimo quarto accesserunt Elbinga, Thorunum, Culma, Gedanum, Regiomontum, Brunsberga.

***) Sigismundus I. anno 1526 edicto vetuit, „ne Poloni a modo ab opificiis civitatum quarumlibet arceantur, sed pari conditione cum Germanis et aliis nationibus admittantur, non obstantibus huiusmodi opificiorum contrariis constitutionibus sub poena L floren. Hungarical. qui eos non receperint infligenda: perque loci Capitaneum pro fisco regio exigenda.“ Civitates vero regis auctoritati intercedentes illud Sigismundi edictum ut multa alia negligebant. —

Ex omnibus, quae allata sunt, testimoniis ardor haud raro modum excedens satis clare elucet, quo cives Thorunenses, ne in nomen Polonum coalescerent, neve Polonorum mores irreperent, omni ope repugnabant. Qui autem, ne opifices sanguinis Polonici in civitatem admitterentur, tam anxie cavebant, ab iis fieri non potuit ut Poloni in senatum legerentur. Senatorum inde ab urbis incunabilis nomina servata sunt, verum usque ad annum 1724 Thorunensibus funestissimum nomen, quod originem Polonicam ferat, nullum deprehendes. Neque inter scabinos, quorum nomina in libris iudiciariis legimus, Poloni reperiuntur. Linguam autem, qua cives Thorunenses quum in vita privata tum in negotiis publicis utebantur, Germanicam fuisse, pluribus si comprobare vellem, oleum et operam perderem. Neque in foro neque in curia linguae Polonicae usus dabatur; cuius quidem scientia etsi iis, qui civitatem regerent, ob negotia, quae Thorunensibus cum Polonis intercedebant, expetenda videbatur, multum tamen aberat ut ex reipublicae legibus iniungeretur. Cuius rei testimonium satis luculentum ex anno 1787 proponam, quo Thorunum amplius iam trecentos annos cum Polonorum regno iunctum erat. Illo enim anno G. Praetorius vir doctissimus, sed linguae Polonicae haud callens, quum ad munus secretarii senatorii ineundum nomen profiteretur, atque ex senatoribus quidam linguae Polonicae scientiam in candidato requireret; G. A. Reyher proconsul indignabundus assurrexit: admodum se mirari vocem talem audiri in senatu, neminem enim senatorum nescire secretarii Thorunensis os non esse aperiendum, nisi ut verba Germanica aut Latina funderentur.

Huic disputationis parti finem iam facturus quamquam satis multa mihi videor argumenta attulisse, quae, quantum cives Thorunenses origini Germanicae tribuerint, dilucide demonstrent, unum mihi restat, quod praetermittere nolim. Anno 1793 cives Thorunenses Borussiae patriae redditi, ut in verba regis iurarent, legatos Posnamiam mittere iussi sunt, quo ex ceteris tunc Polonis ereptis oppidis vicisque legati convenerant. Senatus autem Thorunensis, ut Gedani iusiurandum fieri liceret, a rege petiit et impetravit: Thorunum enim Germanorum esse, non Polonorum, oppidum.

II. Alterum argumentum, quo Poloni Copernicum sibi vindicare student, a viri maioribus petitur, quos Slavicae originis fuisse affirmant. Quod quidem quantum a vero absit, docui in libello, quem scripsi ad celebrandum diem festum, quo Copernici statua urbis patriae civibus tradita est. Neque hic aliud mihi agendum erit, nisi ut paucissimis repetam, quae in commentatione illa de familiis Koppernigk et Watzelrode exposui, quibus Copernici parentes ortos esse constat.

Atque primum omnium monendum videtur, de Copernici maioribus paternis ne nunc quidem, posteaquam et Thoruni et Cracoviae tabularia pervestigari coepta sunt, certi quidquam exploratum esse. Patris vix praenomen usque ad nostra tempora noveramus, atque avus paternus quis fuerit, hodie quoque nescimus. Nam quae Poloni auctore Adriano Krzyżanowski*) de maioribus Copernici vulgaverunt, ad meras fabulas releganda videntur. Partium studium viros ob patriae amorem laudandos in hac quaestione occoecavit, quae mirum quanta levitate, ne graviore verbo utar, tractata vel potius obscurata est.

De Copernici maioribus quod perpauca ad memoriam nostram pervenerunt, nemini mirum videbitur. Tabulae enim gentiliciae neque scriptae erant, neque, si scriptae fuissent, oblivionem et interitum effugissent. Quid enim? Num familiarum Koppernigk et Watzelrode vestigia quisquam hodie quaereret, nisi ex iis astronomiae ille restitutor prodisset? an multum temporis praeteriit, ex quo Nicolaum Copernicum virum summa laude dignum habere licet?

Quae quum ita sint, nihil nobis de Copernici maioribus quaerentibus relinquatur, nisi ut vestigia in tabulis publicis dispersa et dissipata inquiramus.

Nomen familiae Koppernigk**), ex qua Nicolai Copernici pater originem traxit, in actis publicis et Thorunensibus et Cracoviensibus nonnunquam deprehenditur: sed ignoramus, quo propinquitatis vinculo vir immortalis cum aliquo eorum, qui ex illa gente commemorantur, coniunctus fuerit, ignoramus, num quod sanguinis vinculum Thorunensibus cum iis, qui Cracoviae sedem habebant, intercesserit. Quamquam igitur nomina hominum ignotorum afferentes hac in quaestione parum proficere videmur: tamen, quia silentio ea praeterire nequeo, quibus Poloni multum tribuant, iam afferantur, quae de familia Koppernigk innotuerint.

Thoruni gentis Copernicanae nomen varie scriptum saeculo decimo quarto exeunte aliquoties reperitur. Anno 1398 ex senatus decreto „Michael Czeppernick receptus est in vigilem Culmensis“. Huic aequalis fere fuit „Laurentius Koppirnik“, qui inter cives, quibus

*) Krzyżanowski, quae de Copernicis reperisse sibi visus est, saepius exposuit, cf. Biblioteka Warszawska 1841 (Tom. III., p. 27 sqq.) Jordan's Jahrb. für slav. Litt. 1843 p. 247 sqq. Mikolaja Kopernika spomnienie Jubileuszowe (Warsow. 1844).

**) Ut Copernicis originem Slavicam iniungant, Poloni etymologice quoque in auxilium vocant, atque nomen familiae praedicant non modo sonare Polonice, sed integrum inter nomina linguae suae appellativa inveniri; „Koprnik“ enim vel „Koprownik“ plantam quandam significare (Linné: Seseli). — At si quis nostrorum viam eandem ingredi voluerit, in lingua Germanica nominis Koppernigk et radicem et terminationem nullo negotio inveniet. Vox „kopper“ (i. e. aes cyprium, cuprum), quod nunc in „kupfer“ mutatum est, in actis, tabulis et literis Thorunensibus illius temporis saepissime legitur, et terminatio „igk“ usitatissima est in civium Thorunensium nominibus illius saeculi, e quibus nomino: geyclingk, bellingk, thutingk, lubingk, strubingk, henningk, henfflingk multa alia. —

„census de swibbogin“ solvendus erat, in indice circa annum 1400 facto nominatur. Eodem fere tempore in actis iudicialiis Copernicorum mentio fit. Anno enim 1400 pactionem hereditariam legimus a cive quodam „Koppernick“ „uxoris gratia“ factam. Anno 1422 Petrum Koppernigk „ab Frankenstein“ in actis iudicialiis commemorari ipsi scriptores Polonici narrant. Mihi quidem neque hunc neque illum librum inspicere licuit, qui negligentius asservati superiore saeculo, nescio quo anno quove furto, in Poloniam migraverunt, unde alter cum multis aliis Polonorum libris Petropolin translatus in bibliotheca Caesarea nunc asservatur, alter nescio in qua bibliotheca adhuc latet.

Pauca etiamsi Copernicorum vestigia in actis Thorunensibus inveniuntur, dilucide tamen demonstrant, iam centum fere annis ante Nicolaum Magnum natum gentem Copernicanam Thoruni floruisse.

Cracoviae fortuna minus invida actis et consularibus et iudicialiis pepercit; attamen Poloni non indagarunt nisi unum huius nominis civem Nicolaum „Coppirnig“, qui anno 1396 civitatem Cracoviensem assecutus esse dicitur. Alterum ex hac gente civem Cracoviensem ipse reperi in actis consularibus, „Johannem Coppernik“, Nicolao Koppernigk Thorunensi, patri astronomi, fere aequalem. Neque illo tempore Copernicanae gentis stirpem Cracoviae sedem habuisse negaverim. Huc accedit, quod patrem astronomi ipsum Cracovia Thorunum immigrasse fama pervulgata circumfertur. Quae etsi nullis adhuc confirmatur certis argumentis*), non est cur in dubitationem vocetur; imo ego, si vel unus testis afferri possit, affirmare non dubitaverim, gentis Copernicanae domicilium primum Cracoviae fuisse atque stirpem demum gentis Cracovia Thorunum immigrasse. Namque iam ineunte saeculo quarto decimo commercii et negotiorum, quae mercatoribus Thorunensibus cum Cracoviensibus intercedebant, testimonia permulta exstant; quae quidem commercii societas, posteaquam Thorunum in tutelam regis Polonorum se contulit, magis etiam effloruit. Niklas Koppernigk ipse negotia Cracoviae habebat, eiusque nomen in actis Cracoviensibus aliquoties reperitur.

Sed quaerentibus nobis de patria Nicolai Copernici nullius momenti esse videtur, prima gentis Copernicanae sedes Cracoviae an Thoruni fuerit; neque, nisi Poloni origini

*) Nicolaum Koppernigk, patrem astronomi, Cracovia Thorunum immigrasse, Zernecke in altera annalium Thorunensium editione primus narrat. Sed ne dicam, in libro manuscripto Austeniano, cuius auctoritatem se secutum esse Zernecke profitetur, verba illa non reperiri: acta iudicialia eum de anno quoque erravisse docent, in quibus testimonia insunt, Nicolaum Koppernigk iam anno 1459 civem fuisse. Quae quum ita sint, Zerneckii auctoritatem, nisi testimonia certa adduci possunt, hac de re in dubium vocabimus. —

Krzyżanowski autem quam fidem habeat, vel ex hoc intelligi possit, quod dicit, apud Zerneckium et in actis Nicolaum Koppernigk semper vocari civem Cracoviensem, qui in actis nunquam, apud Zerneckium semel Cracoviensis nominatus est.

Cracoviensi tantum tribuerint, hanc quaestionem hodie quisquam moverit. Illi autem, qui ex origine Cracoviensi, quam Copernicis dare solent, eos colligunt Slavorum genti adscribendos esse, aut ipsi res ignorare videntur, aut rerum ignaros in errorem inducere volunt. Cives enim Cracovienses illis temporibus, de quibus agitur, dico saeculum XIV. et XV., Polonos fuisse, nemo iure affirmabit*). Poloni illis saeculis maiorum victu moribusque servatis vitam rusticam praeferebant, res urbanas aversabantur; eorumque oppida coloniis e Germania deductis, per multa saecula incolas Germanos habebant**). Oppidani igitur Germanorum et iure, quod colonis adductis datum erat, fruebantur, et lingua quum in vita quotidiana tum in negotiis publicis utebantur. Nihil, ut gravissimum testimonium iam afferatur, in actis publicis Cracoviensibus usque ad saeculum sextum decimum Polonice scriptum legitur†).

Verum etiamsi iam saeculo quinto decimo Cracoviensium civium maior pars Polonicae originis fuerit, etiamsi concedamus patrem astronomi Cracovia Thorunum immigrasse: Polonus tamen ille Niklas Koppernigk††) esse non potest, qui civitate Thoru-

*) Si qui Poloni in actis publicis Cracoviensibus commemorantur, adiecta voce quadam originem Polonicam testante discerni solent, cuius rei exempla nonnulla ex actis consularibus petita proponam: a. 1431 commemoratur „Schultis Polonus“; a. 1431 „Polnische Mathis der Gerber“ etc.; a. 1447 „inter seniores sutorum nominatur Polnisch Martin“; a. 1449 „czwischen mertin goldfmed anders polnisch mertin genannt“ etc.; a. 1460 „advocatus Polnisch Jan“; a. 1473 „polnische mertins des messersmides zon“; 1478 inter seniores balneariorum nominatur: „Jan polnisch“; a. 1457 legitur: „Sophia polnisch Janyn hot befannt, dassy sebenzig marg entphangen hat. . . . dy ir bon irem vorigen manne polnisch Jan Goltfmed gemorgengobit seyn etc.“

***) Testis ex scriptoribus Polonicis Cromerus afferatur, qui l. l. p. 490 fatetur: „Sunt hodieque non modo mercatores et officines Germani multi sparsim in urbibus habitantes, verum oppida paene tota et pagi pleni utentium lingua Germanica in submontana regione eique finitimis Russia et Scepusio, itemque in extrema ora maioris Poloniae, deductis eo sicut et in Silesiam et in Prussiam quodam tempore Germanorum coloniis et multis de plebe compendii sui causa subinde immigrantibus. Quin et equestres quaedam familiae antiquitus e Germania ducunt originem.“

†) In tabulario Cracoviensi adhuc asservantur acta consularia, iudiciaria et scabinalia. In actis, quae consularia inscripta sunt, non modo senatus decreta insunt, sed multa alia, quae apud nos in libros iudiciarios referebantur, dico sygraphas, chirographa, testamenta, libellos, libellos appellatorios. Ex his alia latine, alia Germanice scripta sunt. Saeculo XV. exeunte lingua Latina saepius in usu est, nihil autem usque ad saeculum XVI. polonice scriptum legitur; nonnunquam etiam saeculo XVI. (annis 1530, 1531, 1532) lingua Germanica reperitur (A, 8 p. 99, 114, 118, 136, 154, 177, 184, 185, 458, 541 etc.). — Acta iudiciaria et scabinalia latine scripta sunt.

††) De Nicolao Koppernigk, patre Nicolai Magni, posteaquam usque ad nostram memoriam mirum quot fabulae circumlatae sunt, acta iudiciaria lucis aliquid attulerunt, in quibus ille ob negotia, quae habebat, saepius commemoratur. Niklas Koppernigk vir summa fide et autoritate mercaturam magnam et copiosam fecit; anno 1465 in collegium scabinorum veteris civitatis receptus est, quo munere usque ad supremum diem per viginti duos annos functus est. — In senatum quominus cooptaretur eadem lex prohibuit, quae eum vivente socero a scabinatu removerat; affinis enim Tilmannus ab Allen, qui uxoris sororem in matrimonium duxerat, senatoris munere iam inde ab anno 1461 fungebatur.

nensi donatus sit, virginem ex gente nobilissima Thorunensi ortam uxorem duxerit, scabini Thorunensis munere functus sit. — Nam qui ea probaverit, quae in prima commentationis huius parte disputata sunt, ei persuasum erit vix fieri potuisse, ut vir Polonus inter cives Thorunenses reciperetur, minus etiam, ut connubii iure in gentes nobiles Thorunenses ascisceretur, minime autem, ut inter scabinos Thorunenses eligeretur.

De maternis Nicolai Copernici maioribus non est cur pluribus agam. Satis erit dixisse, uxorem*), quam Niklas Kopperrnigk duxit, ortam esse e Watzelrodiorum gente Thorunensi antiquissima et nobilissima**).

III. Restat ut exponam, qua argumentatione freti Poloni sibi aliisque persuaserint, Copernicum ipsum noluisse se Germanum haberi, imo Polonorum rebus ex animo fuisse. —

Atque primum quidem patriae suae Poloni dicunt Copernicum se amatissimum ostendisse, quod adolescens, quum multae in Germania floruerint academiae, patriae caritate ductus academiam Cracoviensem omnibus praetulerit. At ne dicam, quae iam affatim supra

*) Barbara, mater Nicolai Copernici filia erat Lucae Watzelrode, viri nobilissimi, qui per triginta annos scabini munere functus amplius viginti annos principem inter eos locum tenuit. Praeter plures domos, quae ei Thoruni erant, Lucas Watzelrode prata agrosque suburbanos et praedium „Fredau“ possidebat, cuius nomen dominationis Polonicae tempore mutatum est in nomen „Slawkowo.“ — Altera Lucae Watzelrode filia nupta erat Tilmanno ab Allen, viro ex gente nobilissima Thorunensi orto, qui ipse triginta octo annos dignitate senatoria functus eo anno, quo Nicolaus Copernicus natus est, consul rebus Thorunensibus praeerat. — Filius Lucae Watzelrode anno 1489 ad cathedram dioeceseos Varmiensis euectus sororis liberorum saluti summo amore consuluit, quorum duos Nicolaum et Andream ad canonicatum Varmiensem provexit.

**) Gens Watzelrodiana, cuius nomen originem Germanicam satis testatur, erat e senatoriis. Per centum fere annos (1376—1464) Watzelrodii inter senatores aut scabinos Thorunenses nominantur. Neque Poloni, nisi scriptor quidam Thorunensis ansam iis dedisset, maternos Copernici avos sibi arrogare conati essent. G. Centner enim, quem alio loco docui in hac quaestione parum fidei habere (cf. Zur Biogr. v. Copern. p. 48), literis incautius mandaverat, quod ab amico quodam Elbingensi auditum (!) profiteretur, aviam Copernici matrem propinquitate quadam cum gente Modlibogiana coniunctam fuisse. Quae quum ex nobilibus Polonorum gentibus esset, Krzyżanowski, Winarzicky, Szule, alii illud Centneri libenter arripuerunt. Ac Krzyżanowski quidem pro ingenio suo exsultans dixit: „ergo in venis astronomi nostri nihil inest sanguinis Germanici neque fuscum neque gladium si respicis“ („wieg w żyłach naszego Astronoma tak po mieczu iak po kądzieli nie pty-
nęła kropla krwi niemieckój.“ Spomnienie Jubileuszowe p. 13). Cautius Bartoszewicz, qui quum intelligeret, quam incerta scriptoris Thorunensis auctoritas esset, qui de gente Thorunensi virum Elbingensem percontaretur, nihil de Modlibogianis locutus haec scripsit: „Waisselrodii videntur ex illis nobilibus Masoviensibus fuisse, quos multorum annorum usus ruri quasi ascriptos tenuit.“ Argumentationem etiam Bartoszewicz non adiecit, nimirum quod argumenta nulla habebat.

docui, quum omnium fere Poloniae oppidorum, tum Cracoviae cives illo tempore non Polonos sed Germanos fuisse: academias illius aetatis constat a nostris diversas multo minus moribus et ingenio eius gentis, a qua institutae erant, accommodatas fuisse. Nam ut alia omittam, in scholis academicis non patrio, sed Latino, sermone utebantur, qui e nostris scholis iam exulat. Ita quum arctiore vinculo viri docti inter se coniuncti essent, in academias, quae illustriores erant, iuvenes ex omnibus Europae partibus commigrabant. Jagellonicam autem, quae illo tempore florebat, literarum studiosi non modo ex Borussia, sed ab ultimis Germaniae oris, Hungaria, Transsilvania, Suecia, Helvetia celebrabant.

Quae quum ita sint, neminem puto fore, qui Copernicum Borussum Polonorum illustrem academiam ceteris praetulisse miretur, ubi quum multi Thorunenses artis liberalibus instituerentur, tum avunculus illius literis quondam studuerat, cuius tutelae sororis liberi patre orbatu commendati erant. Adde vicinitatem commerciique societatem, qua Thorunenses cum Cracoviensibus coniuncti fuerunt, adde quod Niklas Koppernigk, Cracovia esti non immigraverit, socios, amicos, cognatos Cracoviae habuisse videtur, quorum hospitio et familiaritate Nicolaus adolescens frueretur.

Alterum argumentum, quo Poloni putant effici, ut Copernicus Polonus iudicari voluerit et iudicatus sit, ex re satis levi et non probata arcessitur. Copernicus enim quum in tabulis academicis Cracoviae adhuc asservatis, solo Nicolai praenomine inscriptus esset,*) Krzyżanowski gentile nomen contendit non omitti solitum esse, nisi iuvenum Polonorum; qui vero alienigenae in academiam Cracoviensem venissent, eorum et praenomen et nomen gentile in tabulas academicas relata esse. Sed quod pro re comperta Krzyżanowski pronunciaverat, id libello inspecto non comprobatum reperi. Annis 1491 et 1492, iis, quibus Copernicus in academia Cracoviensi versatus est, permultos omisso nomine gentili iuvenes externos civibus academiae ascriptos invenies, atque iisdem annis permultorum iuvenum Polonorum, vel ipsorum Cracoviensium, nomina gentilicia addita sunt**). In hac

*) Bartuszewicz commenta Krzyżanowski non recepit, imo in tabulis academicis legi affirmat: „Nicolaus Copernicus Nicolai filius Thorunensis.“ Quod quidem unde habeat, ego nescio. Nam recte Krzyżanowski, quae in „metrica studiosorum“ Cracoviae adhuc asservata leguntur, descripsit, in quam „Nicolaus Nicolai de Thuronia“ relatus reperitur inter eos, qui „in rectoratu nono Venerabilis viri magistri Matthie de Cobilino Sacre theologie professoris lectoris ordinarii eiusdem commutatione hyemali hij sunt intitulati anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.“ Eodem anno, quo Copernicus, quatuor adolescentes populares civibus Cracoviensibus adscripti leguntur: „Matthias Jacobi,“ „Andreas Nicolai,“ „Henricus Henrici,“ „Jacobus Georgii“ „de Thorun.“ —

***) Anno 1491 in tabulas academicas omisso nomine gentili ex iuvenibus alienigenis relati iuveniuntur: Bernardus Hermanni de Melinga dioec. Constant.; Johannes Andree de Stafelstyn dioec. Bamberg.; Jacobus Ulrici de Esslingen dioec. Constant.; Johannes Johannis de Weynden dioec. Ratispon.; Ambrosius Georgii et

igitur re, ut in nominibus propriis scribendis aliisque rebus legem certam non servatam videmus; iuvenes ex eadem civitate oriundi nomine gentili modo addito, modo omissa, in indicem academicum relati inveniuntur. —

Gravissimum denique et firmissimum argumentum Poloni in eo deprehendisse sibi videntur, quod Copernicus, quum anno 1496 in academia Patavina versaretur, albo Polonorum inscriptus esse dicitur*), i. e. albo sodalitatis, sive nationis academicae, quae Polonica nominabatur. Qua quidem re ii, qui mores et instituta illa aetate in academiis recepta ignorant, facile in errorem induci possunt.

Sodalitates, quae in academiis illius aetatis, „nationes“ cognominatae, docentium et discentium corpora consociabant, suas quidem leges et privilegia, procuratores, dies festos, moresque, quibus socios arctiore vinculo continebant, receptos habebant; patriae vero originisque rationem non solam habuisse videntur. Quod etsi nationum vel nomina docent, tamen qua ratione quibusve finibus nationes illae disjunctae fuerint, haud facile affirmari potest. In academia Parisiensi, quam omnium primam fuisse constat, ex eaque aliarum instituta repetita esse, quatuor erant nationes: Gallica (cui praeter Franco-Gallos etiam Itali et Hispani adscribebantur) Piccarda, Normanna et Anglica. (Natio Anglica, postea Germanica nominata, omnes, qui ex Europa septentrionali aderant, continebat). Neque in academia Bononiensi, quo discrimine nationes segregatae fuerint, liquet. Civium enim corpus, cui ultramontanorum nomen inditum erat, in quatuordecim nationes dividebatur, quorum plures quum iuvenes ex provinciis minoribus oriundos comprehenderent, (Picardos, Burgundiones, Pictavienses, Normannos, Catelanos, Provinciales) una, quae Polono-Theonica nominabatur, ex Germanis **et**

Balthasar Gregorii de Juterbok dioec. Hamburg.; anno 1492: Ulricus Oswaldi de Hallis de Suevia; Nicolaus et Erhardus Johannis de Thurrego dioec. Constant.; Wigandus de Argentina dioec. Argent.; Christoforus Nicolai de Monika dioec. Ratispon. Andreas Bernardi de Skothvilla dioec. Constant.; Jacobus Jacobi de Putelstath dioec. Mogunt.; Oswaldus Johannis de Kemnitz dioeces. Misniens.; Johannes Thome de Cremnitz dioec. Strigens.; Raphael Philippi de Suecia. —

Ex iuvenibus Polonis, qui addito nomine gentili in tabulas academicas relati inveniuntur, Cracovienses tantum hic nominabo: a. 1400 Johannes Martini cirkelmeyster; a. 1406 Johannes Glosmani; a. 1407 benedictus Johannis Hesse; Stanislaus Kerber; a. 1415 Johannes flenzer; a. 1420 Johannes Johannis Bork; a. 1421 Andreas Johannis Westen; a. 1429 Paulus Pauli Smelz; a. 1430 Johannes Wornsten; a. 1433 Nicolaus Nicolai Woler; a. 1434 Nicolaus Petri Hirsperg; a. 1457 Alexius Petri Koppirschmeth; a. 1475 Nicolaus Przedborii; Stanislaus langpeter; a. 1480 Johannes Johannis Croker; a. 1487 Johannes Johannis Kunath; Stanislaus Johannis Kunath; Johannes Nicolai Zalez; 1491 Stanislaus Hannus Scholz; Paulus Petri Wyrzba. —

**) Auctor est Papadopoli, qui in historia Gymnasii Patavini (II. p. 195) haec habet: „Nicolaum Copernicum Patavii philosophiae ac medicinae operam dedisse per annos quatuor constat ex Polonorum albis, ubi discipulus dicitur Nicolai Passarae a Genua et Nicolai Verniae Theatini, a quo ad utriusque scientiae lauream provecum asserunt acta collegii Medicorum ad a. MCDXCIX.“

Polonis composita erat. Cives academiae Pragensis in quatuor nationes distribuebantur, Boëmicam, Bavaricam, Polonicam, Saxonicam, e quibus Polonorum natio nullos fere continebat, nisi iuvenes Silesios, qui Germanorum sermone patrio utebantur; unde evenit, ut natio Polonica in nationum Germanicarum numero habita cum natione Bavarica et Saxonica staret adversus Boëmicam, cui iuvenes Slavicae originis adscribebantur. Nationes igitur, etsi iuvenes, qui patria, lingua, moribus iisdem utebantur, arctiore sodalitatis academicae vinculo coniuncti fuisse videntur, pari modo atque sodalitates, quae popularium nomine in hodiernis academiis florent, non solis sermonis patrii rationibus circumscriptas fuisse constat. Quo factum est, ut Borussi, qui academias Italicas frequentarent, saepe quidem nationi Germanicae adscriberentur, interdum vero Polonis se adjungerent, e quibus ii, qui parentibus oppidanis geniti erant, Germanica lingua ipsi loquebantur. Copernicus autem quod in academia Patavina Polonorum nationi adscriptus est, nemini mirum videbitur, nisi qui Thorunum omnemque Borussiam occidentalem illa aetate arctiore cum Polonis vinculo coniunctam fuisse ignorat.

Haec fere habui adversus Polonos quae dicerem. Borussiam igitur cognovimus a milite Germano expugnatam, a colono Germano excultam, terram Germanicam summo iure et illo tempore, quo Copernicus natus est, vocatam esse, et hodie vocari, etsi nullo unquam arctiore vinculo cum communi patria coniuncta fuerit; Thorunum autem, Borussiae oppidum, Germanorum linguam, mores, instituta quovis tempore servasse atque defendisse; Copernicum denique Thoruni Germanicis parentibus genitum esse. Accedit quod Copernicus canonicis Varmiensibus, in quorum collegium Poloni id temporis non recipiebantur, adscriptus Frueburgi vixit, in illa Borussiae parte, ubi neque illo tempore neque nunc Polonica lingua quisquam loquitur. Jam vero ad finem posteaquam haec disputatio adducta est, argumentum afferatur, quod equidem gravissimum iudico. Viri enim immortalis epistolae aliaque scripta, quae ad memoriam nostram pervenerunt, omnia aut Latina aut Germanica lingua conscripta sunt, neque unum Copernici verbum, quod Polonice conscriptum sit, a Polonis proferri potest.

The first part of the paper is devoted to a general survey of the subject. It is shown that the theory of the differential equations of the second order is a special case of the more general theory of the differential equations of the second order. The theory of the differential equations of the second order is a special case of the more general theory of the differential equations of the second order.

The second part of the paper is devoted to a detailed study of the theory of the differential equations of the second order. It is shown that the theory of the differential equations of the second order is a special case of the more general theory of the differential equations of the second order. The theory of the differential equations of the second order is a special case of the more general theory of the differential equations of the second order.

The third part of the paper is devoted to a study of the applications of the theory of the differential equations of the second order. It is shown that the theory of the differential equations of the second order is a special case of the more general theory of the differential equations of the second order. The theory of the differential equations of the second order is a special case of the more general theory of the differential equations of the second order.

Schulnachrichten

von Michaelis 1859 bis Michaelis 1860.

Zur Geschichte des Gymnasiums.

Das zu Ende gehende Schuljahr wurde Freitag den 14. October 1859 in herkömmlicher Weise mit Gebet und Einführung der neuen Schüler eröffnet.

Der Verlauf des Schuljahres ist mit Gottes Hülfe ein im Ganzen ruhiger und geregelter gewesen: zwar war Herr Professor Dr. Janson durch sein Befinden genöthigt den, ihm seit Ostern v. J. bewilligten Urlaub sich noch bis Ostern d. J. verlängern zu lassen und konnte auch dann nur einen kleinen Theil seiner Lehrstunden übernehmen, aber durch die Fürsorge der hohen Behörden erhielten wir einen Stellvertreter in der Person des Schulamts-candidaten Herrn Dr. Edwin Volkmann aus Insterburg, welcher sein Probejahr hier am 17. October v. J. antrat, sofort die volle Stundenzahl eines ordentlichen Lehrers übernahm und uns ein treuer und lieber Mitarbeiter geworden ist. Nicht minder erfreulich und förderlich war es, dass der Lehrer an der städtischen Schule in Elbing Herr Lewus Anfang November v. J. zu uns übertrat um die neue Lehrerstelle zu übernehmen, welche durch die Theilung der überfüllten Quinta in zwei parallele Abtheilungen nöthig wurde, und dass Herr Siebert, nachdem er die 8. ordentliche Lehrerstelle seit Michaelis 1858 provisorisch verwaltet hatte, unter dem 26. Juni d. J. definitiv angestellt wurde. Einen Beweis besonderer Anerkennung glauben wir darin erkennen zu dürfen, dass der Herr Minister der geistlichen pp. Angelegenheiten unter dem 5. Januar d. J. den 3. Oberlehrer Herr Dr. Fasbender zum Professor, den 1. ordentlichen Lehrer Herr Dr. Bergenroth zum Oberlehrer ernannte.

Während die Lehrer ihren Amtspflichten sich ohne wesentliche Störungen widmen konnten, war der Gesundheits-Zustand der Schüler kein durchweg günstiger, da die hier stets heimischen Fieber in diesem Jahre bei dem oft regnerischen Wetter häufiger und heftiger als im Vorjahre auftraten. Durch den Tod verloren wir den Quintaner Max Gramse, welcher am 23. October v. J. am Nervenfieber, und den Septimaner Philipp Sultan, welcher

am 1. Juni d. J. an den Folgen eines unglücklichen Falles starb, beides folgsame und gutartige Knaben. Ebenso innigen Antheil nahmen wir an dem frühen Hinscheiden zwei früherer braver Schüler: Oskar Nehring, welcher Michaelis 1858 nach Prima versetzt wegen eines Gehirnleidens die Schule verlassen musste, starb am Neujahrstage; einen Tag später erlag zu Deutsch-Eylau im elterlichen Hause Arthur Springer, einer unsrer hoffnungsvollsten Schüler, seit Michaelis v. J. Primaner, einem rasch verlaufenden Brustleiden.

Am 17. August d. J. schloss sich das Lehrer-Collegium dem langen Trauerzuge an, welcher den Stadtrath und Syndicus a. D., Rechtsanwalt Oloff, Ritter des eisernen Kreuzes, zu seiner Ruhe geleitete. Seine vieljährige Thätigkeit in dem Gesamtpatronate des Gymnasiums, namentlich als städtischer Commissarius zu den Abiturientenprüfungen sichert ihm auch in unserm Kreise das Andenken, welches ihm die ganze Stadt treu bewahren wird.

An dem Geburtstage Sr. Majestät des Königs gab der evangelische Religionslehrer Herr Prediger Braunschweig im Kreise der Lehrer und Schüler den Gefühlen einen ergreifenden Ausdruck, welche allein auch diesmal der sonst festliche Tag erwecken konnte. — Am 22. März wurde Sr. Königlichen Hoheit des Prinz-Regenten in dem Morgengebete treu und ehrerbietig gedacht.

Auch schöne und freudige Tage hat das Gymnasium gefeiert. Zuerst das Schillerfest: da der 10. November durch die allgemeine Feier vollständig besetzt war, hielt das Gymnasium die seinige am Vormittage des vorhergehenden Tages; vor zahlreichen Zuhörern trugen Schüler aus allen Klassen, von der untersten beginnend, Dichtungen Schillers vor; den Abschluss bildete ein über Erwarten wirkungsreicher Chor aus der Braut von Messina von erwachsenen Schülern gesprochen; die sämtlichen vorgetragenen Gedichte fasste der Primaner Max Zimmermann in einer Rede zusammen; endlich sprach Herr Professor Dr. Paul über Schillers Bedeutung für die deutschen Gymnasien. Chöre aus der Glocke waren an verschiedenen Stellen der Feier eingelegt. — Am ersten Tage des Sommerhalbjahrs den 19. April wurde das Gedächtniss Philipp Melanths in öffentlicher Versammlung durch eine Rede des Herrn Predigers Braunschweig erneuert; die bis dahin im Conferenzzimmer stehenden Büsten Luthers und Melanths haben seit diesem Tage ihren Platz in der Aula erhalten. Am 18. Juni fand die übliche Turnfahrt in den Wald von Barbarken trotz des nicht ganz günstigen Wetters statt; bei der Heimkehr wurde auf dem Schulhofe das Gedächtniss des Tages von Belle-Alliance erneuert.

Am 17. und 18. September unterzog Herr Provincial-Schulrath Dr. Schrader die Realklassen einer eingehenden Revision, als deren Ergebniss wir die höhere Bestimmung über die Stellung unserer Realabtheilung in der Kürze erwarten dürfen.

Die Ferien haben in diesem Jahre vorschriftsmässig in folgender Weise stattgefunden: Michaelis 6. bis 13. October, Weihnachten 22. December bis 4. Januar, Ostern 5. bis 18. April, Pfingsten 26. bis 30. Mai, Sommerferien 12. Juli bis 8. August.

Ausserdem waren folgende einzelne Tage schulfrei: 15. October Geburtstag des Königs, 9. und 10. November Schillerfest, 27. Februar Abiturienten-Prüfung, 2. Mai Buss- und Betttag, 17. Mai Himmelfahrt, 7. Juni Fronleichnam nach altem Herkommen, 18. Juni Turnfahrt, 19. und 20. September Abiturientenexamen.

Die Gymnasialräume erfuhren im Laufe des Jahres mehrfache bauliche Verbesserungen; namentlich wurde in der Aula und andern Theilen des Hauses die Einrichtung zur Gasbeleuchtung ebenso geschmackvoll als zweckmässig hergestellt.

Auch in diesem Jahre bin ich so glücklich diesen Bericht mit dem Ausdrücke des lebhaftesten und ehrerbietigsten Dankes für die mancherlei ausserordentlichen Bewilligungen abschliessen zu können, welche die hohen und höchsten Behörden theils aus der Gymnasialkasse, theils aus Centralfonds für die Bedürfnisse der Anstalt und zum Besten der einzelnen Lehrer mit reichem Wohlwollen gewährt haben.

Der Lehrplan

erfuhr eine Erweiterung zunächst dadurch, dass die Quinta wegen Ueberfüllung gleich mit Beginn des Schuljahres in zwei völlig getrennte, parallele Abtheilungen zerlegt und somit eine zwölfte Klasse geschaffen werden musste.

Ungleich wichtiger war für unsre Anstalt das lange erwartete Erscheinen der „Unterrichts- und Prüfungs-Ordnung der Realschulen und höheren Bürgerschulen“ vom 6. October v. J. Zu unsrer grossen Freude konnten wir uns sogleich überzeugen, dass der Lehrplan der drei bestehenden Realklassen mit den neuen Vorschriften fast durchweg im Einklang mit den neuen Anordnungen stand, so dass hier nur sehr geringe Abänderungen, darunter die schon früher beabsichtigte Trennung der oberen Gymnasial- und Realklassen im Religions-Unterrichte, nöthig wurden. Dagegen musste von den bestehenden Abtheilungen der Quarta die eine zur Realklasse umgestaltet werden; dies geschah mit Neujahr; in dieser Klasse also und theilweise auch in den drei oberen Realklassen konnte der jetzt gültige Lehrplan erst im zweiten Viertheile des Schuljahrs zur Anwendung kommen, doch dürfen wir hoffen die damit unvermeidlich verbundenen Uebelstände soweit möglich überwunden zu haben.

In der Dauer der einzelnen Jahrescourse hat sich nichts geändert, als dass die Versetzung aus Real-Tertia recht tüchtigen Schülern schon nach einem Jahre in Aussicht gestellt werden kann.

Im Einzelnen wurden folgende Lehrabschnitte behandelt:

Lehrgegenstände.	Wöchent- liche Stun- denzahl.	Lehrer.
Prima. Ordinarius: Passow.		
Religionslehre: Kirchengeschichte von der Reformation bis auf die neuere Zeit. Der Brief Pauli an die Römer im Grundtexte gelesen und erklärt	2	Braunschweig.
katholisch: Glaubenslehre nach Hesker; Kirchengeschichte bis 1500 nach Siemers-Hölscher; Evangelium Matthäi gelesen	2	Kastner.
Deutsch: Literaturgeschichte bis zur Reformation. Dazu aus Henneberger's Lesebuche gelesen Nibelungen, Reinhard, Walther von der Vogelweide. Aufsätze, freie Vorträge.	3	Passow.
Latein: Cicero pro Sestio. Tac. Ann. I., II., 1—26; wöchentliche Extemporalien oder Exercitien, freie Aufsätze	6	Passow.
Horat. Odd. I. (II. u. III. privatim.) Sat. 1., II. bis zur 5. Sat.	2	} W. Hirsch. } S. Janson.
Griechisch: Plat. Apol. u. Crito.; Soph. Ajax. schriftliche Uebungen Ilias VI.—VIII. (IX. privatim) X.—XII.	5	Paul.
Französisch: Racine Britannicus und die erste Hälfte von Montesquieu considérations; wöchentliche Exercitien oder Extemporalien; einzelne Abschnitte der Grammatik nach Plötz 2. Cours	1	Passow.
